



CXIII.

PROGRAMMA FUNEBRE
&
EPICEDIA
Exequiis

Viri Clarissimi Praestantissimi
DN. DANIELIS LU-
DOVICI,

Mathematum ac Logices in Illustri Gymnasio An-
haltino P. P. & Medici felicissimi,

Die 5. Augusti Anno c^{lo} I^oc XXXVI.
Servestæ piè ac placidè defuncti,

Dicata

à

Collegis & Amicis.



SERVESTÆ,

Typis ANDREÆ BEZELII,
ANNO M DC XXXVI.

RECTOR ILLUSTRIS GYMNASII
STUDIOYSIS SALUTEM

Medicorum & Praeceptorum, inquit Seneca, apud nos magna caritas, magna reverentia est: de quibus respondet, quædam pluris esse, quam emuntur. Eminus à Medico rem inestimabilem, Vitam & Valetudinem bonam: à bonarum artium Praeceptore studia liberalia & animi cultum. Agnovit hoc literatum Romanorum seculum. Utinam & nostrum agnoscat, habeatque in pari precio Medicos & Praeceptores bonos, sitque tanta eorum reverentia & caritas, quanta raritas! Hoc qui non aestimant, sensu exuisse humanitatis & beatitudinem induisse stuporem mihi videntur. Stuporem quis non dixerit, humani corporis animique curam non getere, hoc est, seipsum non amare. Non enim amat seipsum, qui, quod ipse est, non amat, hoc est, mentem sanam in corpore sano. Sincere vero neutrum amare dici potest, qui nec Medicum nec Praeceptorem amat, quorum illi corporis, huic Mentis sanitatem debetius: utriusque, quod vere sumus homines. Qui enim corpus trahit ægrum, inter vivos esse paullatim definit. Qui mentem ægram, & veræ experienti culturæ, præter externam speciem humanae dignitatis parum haberet. Inter vivos autem conservat Medicus, cultutam animi ministrat Praeceptor: utrumque uterque donat. Nutriri enim, ut graviter scribit Seneca, rei premium, sed operæ tantum solvitur. Quod enim deserviunt, quod à rebus suis avocati nobis vacant mercedem non metiti, sed occupationis suæ ferunt. Tu, Lector, jam cogita, quo loco inter Reipubl. membra habendi Praeceptores & Medicos, & horum jadūt quantum corpori Reipubl. allatura sit deformitatem! Videor mihi videre monstrum Cyclopicum, quod oculis cassum coeco furore non tam in bellas, quam in homines agatur, calique & terra confusione minetur &

1780 QD M. DIXA

mo-

molatur, quamvis ne hoc quidem planè representari putem: Strabant enim solido robore huic olim vires; Illi sine Medico non starent, adeoque cadaverolum duntaxat monstrum supercesset, in quo *araexia* senviret Cyclopicā, neminemque nemo ulla in re audiret; quod quasi Symbolum ejus eleganter Graci exprimunt, *gdaūs gdeōs gðs s̄n̄s*. Hoc cum justa iudicii trutina ponderassent Philosophorum filii, & Medicum & Praeceptorem, augusto Imperatoris nomine salutauit: Ille enim ægro etiam Imperatori imperat, & superesse Recip. jubet: hic Filiis Imperatoris (quod licitatori suo Xeniadi, ec- quid artificiū nosset, percontanti respondit olim Diogenes) & idoneos Recipubl. Rectores imperio suo sūstit. In hanc Medicorum & Praeceptorum mentionem inducit me, proh dolor, optimi Praeceptoris & Medici funus, quod dies ab hoc terius fecit, qui desideratissimum huic Recipubl. Civem & Medicum, Gymnasio & nobis Professorem & Praeceptorem fidelissimum, mihi Collegam & Compatrem dilectissimum ademit, & migrare ad sedes beatorum jussit, à quibus æternū omnīs morbus, omnis ignorantia, & amicorum jacturā exulat. Est ille vir olim clarissimus Nestoreo dignus ævo, Dn. DANIEL LUDOVICUS in Illustri-Gymnasio Anhaltino Mathematū & Logicæ Professor, Medicus Urbis hujus felicissimus, de quo pro more ad vos, ante exequias, paucula heic præfari magna Viri in hanc Urbem, in Illustrē Gymnasiū, in Vos & Me jubent merita, quæ posteritatis memoriæ consecrata volo.

Eximium hunc Virum Bernburgum nobis dedit, anno M. DCI. 7. Augusti, Patre viro Reverendo & Doctissimo, Dn. CHRISTOPHORO LUDOVICO, olim patriæ scholæ sedulo Rector, & post Ecclesiæ fidelis minister, ad ultimam usque senectam, quā ante paucas septimanās fatigatus ad æternæ tranquillitatis poctum præmigravit:

A 2

Ma-

Matre femina honestissima, ANNA, PAVLI SCHLEIFERI, Servitani olim Civis honorati Filia, quæ & ipsa ante annum mortalitatis ultimum exsolvit debitum. Intra piorum parentum complexus cum infans exegisset annos, melioribus literis à Patre consecratus est, quarum prima jecit fundamenta in scholâ patriâ, auspiciis docti patris, qui in ingenio hoc, quod planè ~~usus~~ mature deprehendit, excolendo nulli pepercit operæ, nullis sumtibus, quos Principis quoque laudatissimi DN. CHRISTIANI Senioris &c, munificentia sublevavit. Ex Patria Schola ad Electoralem Marchicam, quæ Joachimicam vallem hactenus nobilitavit, de consilio Patris concessit, Anno M DC XVI, quæ explicandis ingenii velis auram adspiravit uberiorem, quâ ita ille usus feliciter, ut ad solidæ eruditionis metam jam tum plenis quasi velis contendere præceptoribus videretur. Ut enim humaniores alias artes & pietatis taceam, doctrinam, cui Electoralis schola sedulò operabatur, Mathematicorum studiorum, quibus olim apud Græcos initiari & explorari Musica solebant ingenia, feliciter fundamenta jecit, sub Dn. BENJAMINO URSINO, Mathematico Marchiæ Electoralis celeberrimo: qui cum operæ se premium in hoc excolendo ingenio facere intellexisset, largâ quasi manu Mathematicas amoenitates, sine invidiâ subministravit, & planè Mathematicum hoc ingenium in nobilissimæ Scientiæ amore ita pertraxit, ut magnam virilium quoq; studiorū partem illa sibi vendicârit. Quamvis verò annum tum non nisi decimū sextum ageret, ita tamen & mores & progressus in literis probavit Electoralis Scholæ Rectori, ut & ætate & staturâ grandioribus aliis suis commilitonibus studiorum & morum moderator præficetur. Biennio post vocante Patre, Electorali Scholæ valedixit, ægreque ab amantissimis sui præceptoribus dimissus, in patriam iediit, anno M DC XVIII. quo in alumnorum Anhaltinorum receptus numerum illustri Gymnasio gravioribus

stu-

studiis potro excolendum se tradidit. Habuimus tum per triennium, quod probè meminisse vos velim, discipulum obsequiosum, ab omni levitate & vanitate seculari alienum, in frequentandis publicis lectionib⁹ privatisq; exercitiis sedulum, hostem nocturnarum evagationm & compotationū, talem deniq;, ut paucis dicam, quē esse volunt Leges nostræ, quales illustissimi nostri Mæcenates, Patria & Præceptores optant. Neq; successus defuere egregiis conatib⁹: Hoc enim triennii spacio, in studio Theologico & præcipuis Philosophiæ partibus, nec non in Linguis, eos fecit progressus, ut, ad quam vellet, Facultatē applicare animum cum laude posset. Attisit verò jam tum Medicinæ Studiū, & plenior Mathematicarum subtilitatum scientia, quam cum promitteret Academia Electoralis Marchica, illustri tandem valedixit Gymnasio, bonoq; cum DLO Musas salutare Guttalanas constituit: quo etiam consilio anno M DC XXI. in viam se dedit, & Berolinum contendit, inde recta Francofurtum petitur, sedemq; suis fixurus studiis. Sed ecce, non est penes hominē via ipsius, nec est penes virum ambularem vel dirigere gressum suum. Berolinam cum venisset, in viros incidit Reverendos & Clarissimos Dn. ABRAHAMUM SCVLTETVM & Dn. MARTINVM FUSSELIVM, Theologiæ Doctores, amicos olim nobis dilectissimos, qui juvenem liberali facie, Modestiam singulare, & Eruditione in ætate illa non vulgari ita cœperunt amare, ut & familiarem sibi esse voluerint. Cumque Gustrovium tum temporis Clarissimus Dn. SCVLTVS cogitaret, ab instituti itineris trahite *μακαρίη* hunc nostrum amicā vi retraxit, & consentientem sibi itineris comitem adjunxit, ut haberet, cujus colloquio via tedium discuteret, cui rei servire Nostrum posse acris ingeniorum estimator facile intellexit. Ita bonis avibus ad Megapolitani Ducis aulam petrexit. Ut autem amatores facile Virtus invenit, ita & *μακαρίη* noster præcipuis in Illustri Aula

Vitis modestia, affabilitate & eruditione sua statim innotuit
& amari coepit. Erat inter hos D. Arnoldus Gillenius, Chymia-
ter excellensissimus, qui hunc Filiis suis informatorem am-
bitit, quem & obtinuit, sed eâ lege, ut, qua fide filios Docto-
ris informatus ipse esset, eâdem, didactri loco, in Medicinâ
à Doctore vicissim juvaretur. Quod à clarissimo viro quoque
obtinuit, & sâpe prædicavit. Eadem loci usus opportunitate
in Botanico studio plurimum profecit, materiam suppedita-
tante uberem Illustri Ducis horto, quem exoticis plantis Me-
diorum cara egregie locupletârat. Excurrit inde ad vicinas
quoque Vrbes, & Rostochiensem, inter alias, invisit Academiam.
Hanc discendi commoditatem, & celeberrimi Me-
dici familiaritatem diuturniorem sibi optavit quidem; sed
cripi sibi doluit migratione Dn. Doctoris Gillenii, quem
Cassellas fortunarum suarum sedem sibi destinantem pro-
qui inconsultum duxit; qui jam ante voto Marchicam invi-
sendi Academiam exciderat. Igitur anno M DC XXII quod
ante annum interruptum erat, iter instauravit, pedemque
prius non fixit, quam Francofurtum attingisset: ubi damnatus
voti perquam commodè in Clarissimi & Excellentissimi Me-
dici Dn. D. Godofredi V Veidneri, P. P. ædibus hospitium
& Museum invenit ex voto, statimque ad Collegium Medi-
cum privatum inter Collegas admissus est. Cumque non ru-
dis accederet, sed egregios prefectus, ex consuetudine cum
Clarissimo D. Gillenio afferret, eorumque inter initia in re
Herbaria & operatione Chymica, ut de variâ lectione nihil
dicam, specimina edet egregia, ita sibi Clarissimum Dn.
D. V Veidnerum conciliavit, ut ad secretiores Chymicos la-
bores eum adhibuerit, & cum artis filio discendi cupidissi-
mo arcana pleraque communicârit, sâpe etiam privatis præ-
esse Anatomicis administrationibus, & reliquos exercere
collegas voluerit. Jacta tum inter maxime nostrum &
cla-

Clarissimum Dn. D. VVeidnerum tam solida amicitiae funda-
menta, ut illibata ea ad ultimum usque halitum NOSTRI
permanserint, quæ mutuis crebrisque contestata literis &
egregiis adaucta officiis novimus. Cum in tertium jam an-
num magno hoc Viro & Doctore familiariter usus esset, tan-
tumque didicisset, ut Medicinam facere ipse jam auderet, ex
commendatione Consultissimi Viri, Dn. Cyriaci Herdesia-
ni J. U. D. & Professoris Francof. Amici olim nostri hono-
ratisimi, à Nobilissimo Viro Dn. Sigismundo à Gözen/Ele-
ctorali Brandenburgico Consiliario & Cancellario Magnifi-
co, ad filiorum institutionem honorifice invitatus & voca-
tus, Guttalantis Musis valedixit, operatique institutionis in
annum fere quartum nobilissimi Viri filii navavit, ita, ut &
Patrem & Filios pleno sibi obsequio & officio plenè deme-
ritus fuerit. In fiduci & industria hostimentum honestus ei
locus in Schola Joachimica inter Docentes tum offereba-
tur. Sed annum aliò frahebant Fata & Vota, nempe in di-
lectissimam Patriam, cui justa persolvere θεωρεία jam du-
dum avebat mens religiosa.

Neque voto defuit occasio. Parentibus enim ita volen-
tibus & vocantibus, anno M DC XXIX domum rediit &
paulo post ad Patriæ Scholæ Rectoratum ab Illustrissimo
Principe vocatus praesente Principe Illustrissimo, Dn. FRI-
DERICO, Principe Anhaltino &c. in templo solemnitet in-
auguratus est. Primus hic ei gradus ad honores publicos fuit,
tanè perquam honorificus in quo antecessores habuit Viros
doctissimos, quorum tamen eruditioni ipse non cessit, no-
stro quidem, non modestia ejus, judicio. Spatiam hanc egre-
gie ornavit, quippe & Φιλοτεχνικης & πολυμαθητικης abunde in-
strutus subsidiis. Cum docendi munere Scholastico praxin
conjunxit Medicam; Vnde non minus felicem Rectorem
Schola Patria, quam Medicum Respubl. habuit, in quoq; no-

mine eidem maximè devincta. Cumq[ue] amplius aliquod
spacium Viri hujus requireret Eruditio, quam in humilioris
Scholæ pulvere porro occupare iniquum videbatur, à Cle-
mentissimis Patriæ Patribus, Principibus Anhaltinis, Domi-
nis nostris Clementissimis ad Mathematum & Logicæ Pro-
fessionem in Illustri Gymnasio Anhaltino, An. M. DC. XXXI.
elementissi nè vocatus, & habita inaugurali, de Matheſi, O-
ratione, novi officii honores adplaudentibus Collegis, au-
spicatus est: utq[ue] in Patria feliciter cœperat, ita in utbe
hac felicissimè praxin Medicam, ad ultimos usque dies, con-
tinuavit & finivit, anni hujus M. DC. XXXVI. V. Augusti.
Heu nimis maturum & festinatum sideris hujus occasum,
quod anno ab ortu XXXV. extinctum videmus & dolemus!
Ocasum hunc facilius & citius forsitan sensura, quām asti-
matura est Respubl. hæc & Illustris Schola. Amisit Schola fi-
delem Præceptorem, qui, quod docere alios debuerat, non
tantum exquisitè didicerat, sed & docere perspicuè potue-
rat: Quæ rariora in uno homine sunt dona, quām eredere
vulgus possit, Vidimus magnâ perspicuitate & felicitate do-
centem Mathematicas, Arithmeticas, & Logicas subtilita-
tes: Vidimus illustres nocturnas horas signandis & nomi-
nandis impendentem Stellis: Vidimus vernas matutinas
horas investigandis & monstrandis insumentem Herbis: Vi-
dimus hybernas Anatomicis destinantem administrationi-
bus: ut alias privatorum Collegiorum operas jam non attin-
gam, quarum usus nostri sensere filii, & in hisce potissimum
dilectissimus quoque filius meus, Rudolphus, cui talis con-
tigit in hoc collega meo amicus, qualis desideratissimo Col-
legæ olim in præceptorc suo Dn. VVeidnero. Jam verò,
quem immatura mors ante annum Præceptoris suo subtra-
xit discipulum, eidem nimis festinata reddit præceptorem.
Spectaculum nobis quidem superstitionibus lamentabile, sed

&

& præceptor & discipulo prorsus amabile, quando consummatum jam Præceptor videt discipulum, & immortalem (qualem olim vovebat) præceptorem discipulus. Tu, Servesta, vidisti felicem Medicum tuæ ita sanitatis cupidum, in hac epidemiâ nostrâ calamitate, ut omnes perreptando ægrorum angulos tibi interviendo consumtus fuerit, & in prædam morti jam cesserit, qui & mortis faucibus filios tuos cripuit. Detinuit cum in hoc Principatu amor Patriæ & Uerbis hujus, quem amicorum vota superiori anno ad Academiam Professionem humanissimè invitarunt, & Collegam expectiverunt, qui ante aliquot annos discipulum habuerunt, testimonio eruditionis perquam honorifico; cui & Doctoralis fastigii honorem amanter obtulerunt, quem acceptâsset, nisi itinerum & temporum difficultas obstitisset; etsi facilem nos ducimus insignium istorum jacturam in eō, quem & eruditio & praxis felicissima in annum jam decimum continua, Doctorem jam pridem declarârunt. Effecta jam habuit opuscula quædam Mathematica & Ephemeridum continuandarum agitabat consilium, quod tamen ab aliis præventus depositus: illis interim expoliendis intentior, quibus limam invidit & colophonem ultima necessitas. Ad honorificam Professionem in hac urbe nostra accessit quoque matrimonium felix, quod anno M DC XXXI, cum lectissima tum virgine, CHARITATE, Viri præstantissimi & doctissimi Dn. M. PETRI von JENA, Consulis Servestani & Professoris Anhaltini, Dn. Collegæ & Compatriis mei honoratissimi, Filiâ, lætissimis contraxit auspiciis, & in hunc usque annum eā extraxit felicitate, ut, si mutuæ inter Conjuges fidei, amoris & humanitatis species bona, majori haud potuerit. Accesserunt quoque duæ Filiolæ ANNA DOROTHEA & EUPHROSYNA, suavissima maritalis consortii pignora, quæ patrem, cheu defunctū lugere per ætatem nōndum

B

pos.

possunt. Mortis nunciam habuit Epidemiam diramque febrim, quæ ne sola esset bellica calamitas, quæ vivos proximum hactenus voravit, & etiamnum vorat immani fau-
cium hiatu, in omnem æstatem sexum & ordinem hactenus
graflata civitatem hanc miserrimè funestavit, & nudius ter-
tius urbem hanc Cive & Medico, Gymnasium Professore, nos
Collega, vos Præceptore orbavit, & in profundam conjectit
mœstitiam Viduam, Socrum Socrū, Fratrem, Sororem: qui-
bus tamen, ne subitanea catastrophe nimium moverentur,
fatorum suorum præcīus, mortis suæ diem & horam haud
obscure prædictit, & ad iugurā, etiam integrâ adhuc val-
tutinc se maturè præparavit. In mœstitiæ hujo societate cum
tota Civitas jure veniat, multis defuncto meritis obligata, vos
quoq; venire æquissimum est, qui Præceptore, altero parente,
orbat, vestram nisi orbitatē hac parte agnoscatis & deplore-
tis, indignum professione humanitatis facinus commiseritis.
Quod ut à vobis alienissimum esse cupitis, ita operam dabi-
tis, ut hujus dici, qui ante annos XXXV. *иахаे тη* nostro na-
talib fuit, hora pomeridiana prima, eo, quo par est, corporis
lugubri cultu, & mœstitiæ seriæ indice vultu, funus prosequa-
mini, vestramque in defunctum præceptorem grati pietatem
contestemini. Dab. VII. Augusti. Anno M DC XXXVI.

Marcus Fridericus Wendelinus.

P.M.S.

P. M. S.

En viator!

EGO DANIEL LUDOVICUS,

Natus sum Bernburgi, Anno M DC I, VII. Augusti,
Patre, CHRISTOPHORO LUDOVICO, U. D.
ministro:

Matte, ANNA SCHLEIFFERIANA, Servestana:
Denatus Servestæ, Anno M DC XXXVI, V. Augusti, febri cor-
reptus epidemia, dum medicam multis adhibui
manum, & sanitatem restitui:

Mathematum & Logices in Illustri Gymnasio Anhaltino
Professor P. Medicus urbi omniq[ue] ordini facilis:
quorum de me judicium non est ex me quod audias:
vivorum id esto. Ex me tamen, de me, paucula
hæc habe.

Me puerum Musis genitor sacravit, & almo
Excepit tenerum primula Musa sinu:
Artibus ingenuis doctos operatus ad usus
Ima animus voluit summaq[ue] nosse messu.
Visceræ terrarum scrutabar ad usq[ue] metalla,
Quæ medicis Hermes jusserrat esse sacra.
Plantarum quicquid medicis servire Machaon
Jusserit, ab unguiculis noscere cura fuit:
Rimari ad medicos humani corporis usus
(Quid non tentamus?) viscera, cura fuit.
Omnibus ut morbos promptum excusisse latebris
Eset, & humanos perpetuare dies.
Sed non in terris pes est mihi fixus, ad astra
Ire animus jussit, iuraque nosse Poli:
Quæis insunta meæ magna est mihi portio vita.
Ad fixas sedes ut meditarer iter.
Hoc iter ingressus dudum, felicibus auris
Absolvi, ductu, Maxime Christe, tuo.

Jam, morbi, mortes, plantæ, æra atque astra, Valete;
Non tangunt curas inferiora meas.

Monumentum hoc dilectissimo Marito posuit CHARITAS,
M. Petri von Jena, Consulis Servestani primarii
Filia, Vidua mæstissima.

Ejusdem.

EPICEDIA.

Heu! Virtus, Musa, & Doctrina, Scientia rerum
Cunctarum, Pietas, probitasque Modestia, Candor,
Justitia, atque Fides, Spes & Dilectio, quævis
Ars sedet ad tumulum LUDOVICI: Dona Viator
Hujus tam varia & luge, & mirare, quietem
Felicem & Cineri terræ sub mole precare.

Johannes Cöppen, Consil Anhaltin.

II.

SIdere felici natus, mage sidera doctus,
Qui fausto ægrotis sidere pocladabat,
Sidere felici factus Doctorq; Maritusq;
Et cui vis Suadæ magna, benigna Charis,
Hic jacet infausto sublatus sidere, florem
Annorum & titulos si tueare viri.
Fallor: Cui CHRISTUS suprimum sidus, is astra
Ipsa petens vicit sideris invidiam.

Amoris & doloris contestandi ergo scrib.

Martinus Milagius, Principum Anhalti-
norum Confiliarius.

III.

An dies, LUDOVICUS, igitur tua lumina linquis,
Annos Nestoreos vivere dignus eras.

Te

Te lugent Musæ, Charites, & Pharmaca grata,
Te laudat Candor, Religionis amor;
Sed, qui præcessit, sequeris mox, ecce Parentem,
Nos terris linquens, gaudia vera petis:
Sic, Deus alme, tuos in Cœlica templa recondis,
Cum nos in terris tristia fata manent.
Macte bono hoc, nobis quam cunctis vincere restat,
Mortem vicisti, dante juvante D e o.
Nos bellum affigit, Nos urgente quanta pericla,
Æternum sed te Pax tua blanda fover.

M. Conradus Reinhardus, Superint.
ditioni Bernburgensis.

IV.

Ad Viatorem.

EN LUDOVICI tumulum! quem rara Matthesis
Auxerat & donis ars medinina suu.
Dicito, qui transis: Brevis ut sit vita per orbem;
Certe ayo dignus Nestoris ille fuit!

Faciebam.

Christianus Beermannus Born, Ecclesiæ
Servitanæ antistes & Theologiæ
Professor.

V.

Quis dolor & luctus, lacrymæq; ac squallida vestis?
Quid Sorabum ploras docta caterva Scholæ?
Quem modò florentem vegetis audivimus annis,
De cathedra Columen Pieridumque decus:
Qui genio summus, LUDOVICUS, & arte Prometheus,
Ad superos solitus scandere mente polos:
Qui nôrat promptus medicâ languentibus ægris
Auxilium miscens pharmaca ferre manu:
Qui Logici poterat sinuosa volumina scîrpi
Scrutari, & positos solvere rité nodos:

Quem

Quem longæ decuit traducere tempora vitæ,
Mors heu! tantum sustulit atra virum.
O! dolor occulti funesta potentia fati,
O! cæcum, dubium, flebile, vira, bœnum!
Siccine Servestæ, Doctor præclare, Lycei
Tam properâ Parcæ falce perempte cadis;
Siccine turbato Charitum patientia vultu
Obvlat faciem discruciata suam;
O! Servesta sacri vidisti Lumina juris,
Justitiam mystas, Sturmum utrumque, graves,
Consilio dextros, virtute fideisque potentes,
Lingua facundos, judicioque catos.
His gravisa fuit, fuit heu! tua curia donis.
Eximiis, unquam non habitura pares,
Horum nunc DANIEL crudeli funera leti,
Invidiâ sequeris cœlica templa petens.
Sentiet hoc vulnus Charitum Sophiamque facillum,
Sentiet, in sensu si propiore tibi.
At frustra querimur, verbis solatia fiant,
Alloquiumque pium pectora moesta levet,
Te, LUDOVICE, ferant meritorum facta tuorum
Inclyta, per terras per freta lata vehant.
Jam dolor includit vocem, nec plura dolore
Victrix dat ingenio Musa vocata meo.
Vive beatorum cœlesti sede receptus,
Vivet & his terris nomen honosque tuus.
Jova tui irradat similes, & vulnera siccet,
Atque tibi cumulet gaudia dia poli,
gymnázay deproperabat

Johannes Hofmeisterus, Ecclesiae Dessaensis
Minister & Vicinarum Inspector.

VII.

Kαὶ τιῷ Δανιὴλ Θυητῶν πολὺ φίλητε αὐδρῶν
ωλεο, ἄμμῳ ἄχος καὶ κάλλιπες αἰὲν ἄφυκτον.
πάντα τι, ὡ Δανιὴλ, ξυγκάτεται δῶρα τὰ Μοισαῖα
τίς γέ εἴτε ιᾶθαι διάτατην αὐδρα νεστήνται,
τίς μετρεῖν Φλογόβασαν αὐτερίθμων ἵπιν ἄτρων,
καὶ δρόμον ψελίοιο κλιτῶν, καὶ μέτρον αἱρέρην
ώ Μῶσι γούσιοιδε, αὐτὴρ γέ απώλετο κλεπτός.
τίνο τὸ ύμέτερον γλυκερὸν σόμα, καὶ μέγα οὗδος.
Θρύνεις ὡ Σοργεῶν πόλι αἴλινα, θρύψα ἀκοιτίς.
καὶ τῇσι σῆμα αὐτὸν σοναχεῖτε τὰ φίλητα τέκνα.
Αἰὲν ὄμως κλαύειν, καὶ ἄλγει θυμὸν αχένειν
γέ δε, πνεῦμα γέ αὐτὸν αχῶν ἔκτοθεν αἴπαντα
ζών υπερμέτρως σοναχεῖν διερύκει υπερθεν.

M. ISAACUS GREGORII,
Reipubl. Servestanæ Patriæ Consul.

VIII.

Te quoq; scrutari qui sidera mente solebas,
Et cæli motus, aériasq; domos,
Per populos manans subiti contagio morbi,
O Daniel, tristi funere mersit atrox,
Provida nec Virtus, nec doctæ gratia Lingua,
Nec tibi dos rari profuit Ingenij.
Heu nihil humanæ fas que nquam fidere vitæ!
Quo minimè speras, mors venit atra, die.

Ejusdem.

IX.

Minus in exequias mæstas dent Aula Scholæg;,
Sunt inficta piis vulnera magna Virus.
Mortuus est vester Patronus Sturmius ch. n!
Doctores duo, qui fulcra fuere Scholæ.

In-

*Infictum vulnus vix est curabile vobis;
Orandum potius, sanet ut ipse D E U S.
Hi sunt defuncti, quorum mens astra petivit,
Tempore perpetuo vivit at ipse D E U S. K
O durum fatum, nimia inclemencia fati!
O quam præstantes Fata tulere viros!
Nec parcunt Medico Ludovico pharmaca doctri
Præbenti multis uon sine laude manu:
Nec parcunt ampli scrutanti sidera cœli,
Eclipses causa queq; fuere mali.
Sed fuit in Fatis, Fatis obſistere durum est,
Rupta sed arbitrio sunt pia filia D E I.
Vos Animaæ salvete piæ, salvete receptæ
Cœlesti ſede, o, sancte quiesce cintis,
Nam veniet tempus, quo coniungentur in ævum
Corpora Spiritibus dissociata suis.*

Johannes Sagittarius Med. D. ſerio condon
lens faciebat Amico ſuo singulari & charo,

I X.

Aliis Inſerviendo.

S Plendorem in tenebris lampas dum clara ministrat,
Sibimet interitum trahit:
Et lassis Vegetum membris dum spirat honorem,
Marcescit exarens rosa:
Adſiduoque arbos ut ſenore prodigat tandem
Fecundat exitium ſibi:
Sedulitas æquam ſortem officiosa bonorum
Inſerviendo aliis gerit.
Parca nempe ſui contenta indagine languet,
Fatoque crudo abſumitur.
Teſtis Apollineæ cultor prænobilis aræ,
Volueri nimis lapsu occidit, M

Occi-

Occidit ante diem Pylio dignissimus a^{vo}?
Spes juvenum, amor senum occidit!
O lucem excitus nostris Epidaurius oris
Si Virbio novam novo!
Fallor? an indigetes, promissi haud immemor, inter
Urania Mystam rettulit?
Immo, dum Viadrus molitur, Jhova petenei
Brabeja summa contulit.

Gratatus

NATHAN VOITHUS,

Med. D. Senior.

X.

V Idit ubi belli tot clades totq; furores
Mortis, tot Martis facta nefanda, dolos;
Fortia tot Patriæ vastari castra, tot urbes,
Templaq; tot Martis furt a furore pati;
Tot juvenes, totq; innuptas, nuptasq; puellas,
Totq; senes, viduas ense secunte rapi;
Intanto, LUDOVICUS ait, non turbine rerum
Vivere, sed cupio scandere in astra Poli.
O DEUS! in Cœlo & Terrâ qui cancta gubernans,
In dextrâ vitæ jurâ, necisq; tenes;
Cladibus his tantis me præripe, totq; periclis,
His tantis turbis, grandibus hisce malis.
Nunc in Pace tuum fidum dimitte ministrum; Lu. 2.v.29.
DISSOLVI CUPIO: vincula solve DEUS. I. Phil.
In tua quo^so animam cape brachia, Christe Redemptor; Psal. 31.
Perpetuæ vitæ me sine luce frui.
Vita hominis nihil est nisi sordida lerna malorum,
In Mundo miserè queis agitatur homo.
Sed quid homo est m. seris vexatus in Orbe procellis?
Ah quid homo miser est? pulvis & umbra fugax.

C. 30. 30. 30. 30. 30. 30. Vita

Vita hominis nihil est nisi carcer squalidus gardens
Mortales varijs excruciare modis.

Vita hominis nihil est nisi prælia, plangor & angor,
Et dolor, & mæror, perpetuusq; labor.

Job. 7.

Omnis homofœnum; marcescit gloria feni;
Flamine flante D E I sic perit omnis homo.

Jcl. 40.

Editus in lucem moritur sub origine primâ,
Ex terrâ factus terra fit omnis homo.

Gen. 3.

Vita hominis nihil est, refiero quid plurima? nihil est.

DISSOLVI CUPIO, vincula solve D E U S. 1. Phjl.
Sat vixi, sat in hac lacrymarum valle procellis

Jacvatus, tandem vincula solve D E U S.

Semita calcanda est leti semel omnibus; omnes

Doctos atq; rudes Mors rapit atra manu.

Nulla Salus Terra; Cælum te poscimus omnes;

Sola Poco patria est; patria nulla Solo.

Phil. 3.

Ergo veni, CUPIO DISSOLVI, Christe Redemptor; 1. Phil.
Labe mea morior, vivo crux tuo.

Tu fons es vitæ, mea Spes, mea Vita, Salusq;

Solve, animamq; meam transfer ad astra Polis.

Vix ea fatus erat, morbus gravis occupat illum;

Mox necis ex vote falce resectus obit.

Venerat unde, Poli repetivit Spiritus aulam;

Luctibus exemptum Terracadaver habet.

Heu dolor! heu lacrymæ! quantum Decus ille virorum!

Qui docti medicas applicuisse manus!

Lux quanto! heu Medicus Soraborum quanto in urbe,

Artis Paonie nomine quanto obit!

Dignus erat nunquam Mundo decedere; semper

Ingenij ob dotes vivere dignus erat.

Sed quia sic placuit defuncto, sicq; JEHOVÆ.

Dormiat, & Cælo gaudia lætus agat.

Felix

*Felix! qui mortem patitur tam fine beato;
Tamq; tremente minis tristibus Orbe cadit.
Felix? qui potuit mature linquere terras;
Praripitur multis scilicet ille malis.*

**JOHANNES CRAMERUS,
J. U. D. & P. C.**

XI.

**TRIAS
ANAGRAMMATVM,
Per quæ Cenotaphium defuncto ex nominibus
pro amore est erectum**

*ab
Eodem Autore.*

I.
DANIEL LVDOVICVS;
(abjecta lit. L.)

**EN VALIDVS DOCVI!
EN VALIDVS DOCVI Medicinam, & sidera Celi;
Aegros curavi; nunc fruor arce Dei!**

II.

**DANIEL LVDOVICVS,
JVS NVLLA CVDO DIE.
Quo fruor, in Celo JVS NVLLA CVDO, sed omni,
Quæ docui, melius sideranosco DIE.**

III

**DANIEL LVDOVICVS,
IN CELI LVDO DAVVS.
IN CELI LVDO DAVVS, non Oedipus ante
Conspectum Domini servio, ludo Dei;
Ergo theatra, sales, lusus, risusq; jociq;
Templa valete, Scholæ, docta Lycea Soli.**

C 2

Etc.

Eπεσιχον

Annūm, Mensem & Diem obitus, sicut & nomen
defuncti exhibens.

QVInto ScXtI LIs LVDOVICVs In arte professor,
ParCæ faLCCe CaDens, en tenet astra PoLI!

Ejusdem Autoris.

XII.

Pallida Mors æquā detruncat falce Juventus
Vigore claros; atque canos tempora.
Pallida mors æquā deturbat sorte nitentes
Vultu; atque fabro fædiōres Lemnios.
Pallida mors æquō de mergit gurgite Phœbo
Caros, & ex rudi quibus pectus luto.
Et cur, Deteriz, semper magis laude cornicos
Mactare vobis volupe quam desperitos?
Nuper id expertus clari Ludvicus honoris,
Casu heu gravi multis, mihi sed nec levi,
Nec licitum nobistantes lenire dolores,
Nec urna quos habet, suis remittere:
Nec sperare, et si laudanda Alcesta fuisset,
Quod Thessalo Latous olim effecerat:
Hoc licet: æterno tandem e conjunctio in ævo
Promissa, votis quam precamur invicem;

Ita deproperabat lugens

Nathan Voigt D. Junior.

XIII.

In superum per summā manus, vocat ardua sursum
Sidera, que terræ pignora chara dedit.
Orba suo ut titubet tristis Respublica Phœbo,
Nec premat innocuos, cladibus ira Viros;
Nec Servesta doles, fatum miserata thorum,
Sidere tergemino nunc viduata tao.
Triga Virūm cecidit, quam si tibi longior etas
serrasset, poterat tollere laea caput.

Hor.

Horrida ne Martis tempestas frangeret omnes;
Turbo salutaris, qui prohiberet erat;
Cum Mors ante fores, populo LUDOVICUS Asylum
Præstabat Medicum, Nominé regi simul.
Scilicet ut, quantus fueras, LUDOVICE, probares,
In numerum trigæ, res inopina! Venis:
Nunc cives Medicum, Præceptoremque juventus
Luget, vix qualem singula seclæ ferunt.

Johannes Cöppen Junior, J. U. L.

XIV.

KlageLied.

Als es vor Krachen gibt/ warme feste Band zetspringen/
Vnd durch dergleichen riß vor schaden offt geschicht/
Das ist bekant! Solt dann mein trewes Herz nicht/
O Bruder/ jeko krachn/ vnd ich mein Hände ringen
Ob deinen Tod? Ach/ Ach! Solt mir nicht heftig schmerzen
Ein solcher harter riß/ dadurch das starke Seil
Der rechten Bruder-Lieb zerrissen ward in eil/
Vnd mit sich nahm hinweg ein stück von meinem Herzen?
Das Seil ist zwar entwey/ die Lieb bleibe unverletzt/
Die sonderbarer war/ dann Frawenlieb/an dir/
Glaub/ Hoffnung/ hören auf/ die Lieb bleibt für vnd für:
Die geht bis in den Himmel/ darinn du bist verschet.
Das nun mein Herz blut/ die Augen heuffig thränen
Die Händ zusammen schlagn/ der Mund viel Klagen führet
Auch alle Glieder bebn/ vnd sich mit grossi begierd
Allhier nach dir so sehr vnd vnnachlässig sehnen/
Das macht der großer Verlust/ darob sic alle leiden/
Das Herz entpfand dein Trew/ die Augen Freud vnd Zier/
Die Hände deine Güt/ der Mund viel Lob vnd Ehr/
All Glieder suchten rath/ den sic nu müssen meiden:
Du warest würdig wol hier ewiglich zu leben/
Das du dein groß talent, so du recht angelegt/ Vnd

Bnd andern schon viel Nutz vnd edle Früchte träge/
Noch länger hettest hier vff Bucher können geben,
Wolan! du treuer Knecht / Gott ist mit dir zu frieden/
Ein Tag der Arbeit dein bey ihm seynd tausend Jahr/
Geh nun zu deiner Kuh von allr Müh vnd Gefahr/
Gott hats so wollen habn/ dasz du von hier geschieden.
Du aber meine Seel/ mein Herz vnd ganz Gemüche/
Ach was betrübstu dich vnd bist ohn ruh in mir!
Harr nur auß Gott/ sey still/ mit hülff steh er bey dir/
Er wirds mit dir wol machn / nach seiner grossen Güte.

Paulus Ludovicus, Fürstl. Anhalt. Lehns-
vnd Gerichtsscerctarius zu Bernburg,

XV.

ANAGRAMMA.

DANIEL LUDOVICUS.

LEO VINCIS uDA LUDO.

LUDOVICUS.

LUCO DIVUS.

C Hiron peritus dum Medicus lucet, claret
Quidni imperitus sit medicus Charon?
Nam quos Charon demittit umbris,
Hos reficit celeri arte Chiron.
Chiron sed audis, nullus ades Charon,
LuDVYICE, rārum Poēonii decus
Orbis, quod ægris Parca dudum
Ingetmuit, doluit querelis.
Fatum catelli vincere dicitur
Clamor leonis, sic leo Poconis
Ludo atque luco divus, ægri
Corporis uda venena vineis.
Quin tantus usu, non sine Numinis,
Atque artè tantus Poconiæ, suæ,

Ut

Ut, Morta quos umbris dicarat,
Reddideris vegetos saluti.
Tuis medelis, te duce febrium
Ignes malarum, monstraque cetera
Morborum Hygeia vicit, apte
Pestiferamque lucem subegit.
Adeste Musæ, quo cineri suus
Honor sub urnâ constet, olympicâ
Apoc. 5.
Donac tubâ, voce ac Leonis
Exicit superi citatus.

M. Felix Haustedius.

XVI.

Suspende passus, Hospes, hoc qui adis bustum;
Cinerig, parce, & lachrimosus appare.
Hunc Ludovicus namq; Daniel suavi
Somno quiescit, astra qui aurea, & incertos
Poli remetens decemplicis cursus,
Citare causas inde calluit rerum,
Fatig, nostris subiucere oculis sortem:
Quicq; ampla regna Nereos, solum & solem
Et sessantes orbibus vagis flammis
Asseruit eruditione laudata;
Quicq; invidente Morte sapius multis,
Docti Galeni filius probè doctus,
Trium sororum fracta reddidit filas,
Ipsi maligna quæ dein lues rupit,
Sed optimo in vigore (prob dolor!) rupit.
Ætatis: inq; flore honoris (heu!) rupit.
Cum ipso quidem bene agitur; interim uxori
Ingens tenerrimisq; liberis mœror
Exertus inde, lacrimantibus semper.

Abi

*Abi silentenunc, Viator, hinc passu,
Quiescere aequum est tot laboribus functum;
Et his quidem annis tenuioribus functum.
Ac, si qua pietas his relieta terris est,
Udis abi, mærens Viator, hinc oclis.*

*Iugenti animo conscriptum à
M. Johanne Cremero, Archidiacono ad
D. Nicolai*

XVI.

*Vive memor leti, postrema conscientia hora,
Regaliè actus voce, memento mori.
Sic moriens vives homo; sic moriere superstes;
Mors grata in vita; vitaq; morte venit!
Dum fuit, heic traxit LuDoViCus tempora vita
Hac mortis memori conditione suæ.
Qui cupis, en documentatibi firmantia dictum,
Et vitæ & mortis quæ memor hora dedit.
Vivus enim mortis vates prædixerat, unus
Præ multis quali polluit arte, diem:
Immò diem atque ipsam non fallax noverat horam,
Quâ vitæ extremum finiit ecce diem.
Jamque, ubi fatali fuit ipse propinquior horæ,
Huic tumuli incessit proxima cura sui,
Inde sepulcreto legit, proprium q; dicavit,
Cui mandarentur corpus & ossa, locum:
Ipse locum certum jamjam moriturus, & ævi
Præscius exacti legit, iitque domum,
Quam prius ornatam voluit, somnoque dicatam
Instanti: Hanc (mirum!) primus inire probat,
Scilicet & tumulum sibi sic extruxit Joseph:
Rex voluit castris prompta feretra vchi.*

Ecquis

Ecquis tam fati memorem, jam lumine cassum
Vivere apud supercos & superasse, neget?
Vivit, & æternum vivet totum æthera doctus,
Sub pede, quæ docuit callidus, astra videt.

M. Ernestus Vulstorpius, Schola
Patriæ Restor.

XIX.

In Solarium

Dn. M. PETRI von JEN A, Consulis Reipubl. Servestanæ
Primarij, obitum Generi sui longè charissimi impen-
pensius dolentis.

C Ompater, ab quid fles Ludovici in funere tristi?
Ludovicus, certum est, non periret præiit.
O duras Fati leges! quia dulcibus, eheu,
Mors annis ungues inserit atra suos.
Qui potuit sero Socero supereesse per annos,
Debuit & Pylii vivere secla senis.
Quod meruit praxis medita, experientia, & illa
Virtutum vita magna corona pia:
Nunc jacet, & corpus tumulavit triste feretrum;
Et teritur spissa, quam modo trivit, humus.
Percharus fuit in primis Tibi, charus & ipse
Uxori charæ: sed magis ipse D E O.
Ille dedit vitam, vitam nunc eripit idem;
Ille Tibi, Generum credidit & repetit.
Non opus est lessis: quid nenia proderit omniss?
Nil aliud poterit quam refricare malum.
Hunc ergo casum patienter ferre memento:
Omnis homo mortem jam prope totus amet.
Ecquis enim cupiat per longam ducere vitam,
Dum furit in terris vindicis ira Dei?

D

Dumq;

Dumque fremunt gentes, dum bella, heu horrida bella!
Tot terras multo sanguinis imbre replent.
Deproperatum animo & calamo
condolenti à
FRIDERICO HAMELIO;
Reip. Patr. Sen. Prim.

XIX.

EN vitam hanc fragilem! Medicus celeberrimus, alter
Hippocrates, ingens hujus & urbishonos,
Innumeros medicā qui sat feliciter arte
Curavit, subito funere mersus obit.
Parca ferox Medicis si nescit parcere; Quæso
Morte quis à rapidâ, dic mihi, tutus erit?
Zacharias Vechnerus, Eccles. Servest.
Diaconus.

XX.

DOCTUS Vir Daniel Ludovicus, clarus in arte
Ingenio præstans, eloquioque potens,
Insignifato Musarum cœstra secutus,
Accepit studij digna brabeja sui:
Cum summo factus celebratus honore professor,
Ornavit spartam, sedulitate pia:
Cui fuit illustris schola nostra hec cura labore,
Prælegit Sophiae dogmata clara suis:
Naturæ arcanum cursum, variosque recessus,
Pandere cui, recto trâmite, cura fuit:
Visere non renuit, quos morbus torfit acutus,
Arte sua multos Consilioque beans.
Dilexit Christum, divina volumina, templum,
Doctrinam ornavit moribus ipse pijs.
Asthenu occubuit nunc in florentibus annis,
Qui vita longo tempore dignus erat:

Hinc

Hinc Schola flet tantum Doctorem morte perentum,
Hujus enim ductu claruit aura Scholæ:
Quò nostrum columen, studiorumq; anchora cœsit?
Quod Schola subjectum, doctaq; Mus apetes?
Ah, quod nulla potest mortem Medicina fugare,
Mors doctos Medicos abripit atq; Sophos.
Ergò vale Daniel cœlesti sede recepte,
Et fruere alloquio, colloquióq; Dei:
Fraternis Christi Dominique requiescito in ulnis
Cœlicolas inter jam modò latus ovans:
Ergò vale Daniel, placidè tumulóq; quiesce,
Te vacuum curis terra cubile tenet.

Johannes Buchius Nassov. Servest, ad
D. Nicolai Verbi Divini Minister.

X XI.

Quo Servesta fuit medico feliciter ufa,
Cujus opem sensit dives egensq; parem:
Ludvicus lævi haud metuens contagia morbi,
Vesperi & ægrotos, manè, rogatus adit,
Horum nonnullis medicando prorogat ævum,
Quosdam communem mors jubet ire viam,
Tandem Letum etiam Medicum se vertit ad ipsum,
Et minus hos lætos protulit ore sonos:
Sæpe alios petij, telum prohibentibus herbis,
Quas dederas, nunc te spicula nostra petunt:
Nunc remoram, si quam scis, iætibus injice nostris,
Arte tuâ nun te, si potes, ipse juva.
Sic ait, educens letalia tela pharetrâ,
Queis ipsum corpus, visceraq; ima ferit,
Inde statim morbum mortali in corpore sentit,
Atq; sibi medicus non medicare potest.

Cogitur

Cogitur in lecto subtristia habere stativa,
Fatalisq; sibi mortis adire viam.
Nulla fugat mortem, quantumlibet herba salubris;
Visa DEO postquam funeris hora venit.

M. Martinus Cramerus, Scholæ
Patriæ Corrector.

XXII.

Quid nam Mors iterum nobis dissolvūs amicum
Curq; Professorem surripis ante diem?
Annon dignus erat vita, servare per annos
Qui poterat vitam hanc auxiliante Deo?
Immō dignus eras vita meliore, Professor;
Vita, in qua deinceps non moriturus eras:
Vita, ubi non bellum, sed pax æterna coruscat,
Sancti ubi tam multi gaudia multa parant
Ote felicem, te terq; quaterq; beatum,
Talem qui vitam jam super astra geris?
Vive, Deoq; tuo, Affinis, nunc succine cantum,
Sanctum cum sanctis Omnibus, hisce Vale.

In Obitum,

Affinis sui heu quondam dilectissimi

Adiiciebat

Lucas à Berga, Reipub. Servestane
Senator.

XXIII.

OSERVESTA tu ovolve hunc sub pectore casum;
Addictuas lacrymas, ô studiosa cohors.

Sic

VII

Sic pietas, sic heu, præstantum juncta virorum
Fata trium hortantur, sic monet ipsa Themis.
Non etenim tantos validâ sive Numinis irâ
Tam subitò Parca tres rapuere viros,
Præmia qui meriti virtutum summa fuere,
Fastorumq; decet quos honor atq; decus.
Quis non attonitus stabat, cum S T U R M I ualtes
Verba velut fluidas fundere ab ore nives,
Confususq; bonæ grandi munimine vocis
Pro Duce, pro lege, & pro grege verba dabat
Antistes Themidos sanctus, sine lordinibus agrum
Protulit, ac acuit fulmine jura pio.
Ergò Principibus gratius, spes ac amor urbis
Atque Ministerij, deliciumq; Scholæ.
Cedere nec Fratri poterat sic S T U R M I ualtes
Sed Latia dici gloria magna fogæ,
Qui, postquam voluit varias invicare gentes,
Ut varios faciliter redderet ore sonos,
Ire juventuti primaria jura professum
Jussus, & hanc spartam condecorare novavit.
Ad sacra jura viam Logico molimine monstrat,
Pullosq; Eunomia jura sacrata docet.
Sic cathedrâ Themidis cum fructu ac laude reliquæ
Consilio magnos adjuvat ille viros,
Implicitisq; suas exercet litibus artes,
Utilis & patriæ sic erat ipse suæ,
Nec minor est tua laus, olim venerabilis hospes,
O LUDOVICE, tui dememiniſſe nefas,
Qui tam multa mihi meritorum pignora ccedis,
Quæ meritis possem haud demeruisse meis.

D 3

Sic

Sicut totam Sophiam pubem, LUDOVVICE, docebas

Ingenij mirâ judicijq; fide, Sic gravibus felix relevans pallentia morbis,

Corpora præstabat medicâ arte virum:

Ut jam principibus medicis populoq; placeres,

Aq; tuâ peteret pharmaca quisque manu.

Salve amor Uraniæ, flos, sidus Apollinis ingens,

Spes, desiderium lumen honosq; Scholæ:

Conjugis & prolis solamen, matris asylum,

Jenæq; domus certa columnæ, vale.

Et quid honoratis meritos meditabor honores?

Quid famam tribus his, quæso, parabo viris?

Unumquemq; suæ quondam cum cura Minervæ

Atq; fides, Virtus, nomen in astra ferent,

Cum decertabunt tantorum summa virorum

Unanimes vatum dicere facta chori.

Ergo silebo magis, passas ad sidera palmas

Tendens, orabo supplice voce Deum,

Omen ut hic vertat, raptum decus addat, & ornec

Mille viris alijs templa, theatra, scholas,

ANNO

Vt rex sithonIVs nostrâ potlatur In orâ,

Non tardo soClo Mors properata Venit,

Georgius Hermannus, Dessa;

Anhalt.

XXIV.

Visisti tandem Ludovice, o Nobile CHRISTI
Membrum, & nunc vitæ parta corona tibi est.

Vivis

Vivis in amplexu C H R I S T I , Nos at rabi ei
Militis & prædæ linquimur heu miser i.
Eripe nos hosti , D E U S , & miserescito nostrum ,
Fac procul à nostris iste sit alveolis .

Martinus Reinhardus , Ecclesia Cōrnia-
censis minister.

XXV.

VIta brevis quamvis Homini sit lege tributa ,
Casibus & variis præcipitata ruat : (tus
Quod Natura negat(mirum)tamen ardua vir-
Exhibit , hæc vitam non periisse sinit .
Abstulit umbriferium Ludwigs mors invida corpus ,
Inclyta sed virtus reddidit Astra viro ,
Si post fata cupis meliorem vivere vitam ,
Sola Comes pietas quam tibi , nempe , dabit .

Cunradus Sebastianus Reinhardus ,
U. J. Studiosus.

XXVI.

NE Medicina tuis quæsone parce querelis
Quæ moveat lacrymas est pia causa tuas :
En Ludovicus obit Medicus super astra vehendus ,
En jacet extrema contumulandus humo .
En vix quinta tibi & tricesima venerat astas ,
Cum Ludovice canis voce gemente Valez :
Namq; ubi sensisses , labi per discera mortem ,
In mæsto ista dabas verba suprematoros

Fata

Fata vocant, moriar, Conjurx Natæq; valete,
Annula blanda vale Euphrosyneq; Valeo,
Quid juvat Historiaæ campos errasse per omnes,
Tempora quid studiis cunctæ dedisse juvat?
Quid mores hominum, multas vidisse quid urbes,
Et maris & terræ tot superasse vias?
Quid prodest totas hyberno sidere noctes
Quid studiis longos continuasse dies?
Ipse quidem dulces auras & amata relinquis.
Lumina, sub gelida contumulatus humo;
Fama tamen superest excelsas nota per urbes,
Gloria Castalia quam peperere DEÆ.
Nullus erit, qui non repetens suspiria dicat,
Sit requies cineri, & Pax, Ludovice, tuo,
O utinam grates alia tibi parte referrem,
Accipe pro meritis carmina pauca tuis;
Salve chare parens, alti novus incola cœli
Non mihi, qui genuit chare parente minu,
Hæc ego, dum flentes comitamur funus amici,
Flebilibus cecini carmina pauca modis.
Plura dolor prohibet: Salve Charissime Amice,
Inq; beatorum PACE quiesce, Valeo.

Desideratissimo Dno. Affini &c Preceptorî exoptatissimo non sine lacrymis faciebat

Fridericus von Jenæ,

F I N I S.

Cl 1926



Stk. 6 = Handschrift

Sb.

Paul Friedrich
Buchbindemeister
Merseburg a. S.

VDA



